



Tom: LXXVI. Miscell:

~~G.H. 70.~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.

17-18.

SIGNAT. 61515CCCXIII.



99)

31.

PROGRAMMA  
Honoris  
**SPIRITU SSANCTI**  
in credentes effusi

Ex verbis Patriarchæ Jacobi Genes. XLIX. vers. XI, XII.  
adornatum, & eâ quâ par est, devotione

Feriis Pentecostalibus

Propositum

à

RECTORE ET SENATU ACADEMIÆ  
REGIOMONTANÆ.

ANNO



1658.

PRÆLO REVSNERIANO.



**S**piritus S. in credentes effusus, cuius hōc die Festum celebramus, multis iisq; egregiis statim se manifestavit operibus. Non enim occultari poterat, qui vicem Christi ad caelos subvecti int erris gerebat: Nec diu differendum erat, quod Servator discipulis statim futurum promiserat. Tanta enim rerum arcanarum scientia, tanta in loquendo fiducia, quanta in credentibus sese prodebat; nec non miraculorum virtus, & incredibilis quaedam animorum coniunctio unde erat, nisi à Spiritu Sancto? Hoc enim sine promissus & datus erat, ut homines cum Deo, & inde eos inter se conjungeret, & quasi glutine quodam copularet. Universa credentiam multitudo ex omnibus populis, quos lingua, studia, mores multum disterminant, congregata, fidei unius & charitatis vinculo colligatur, idq; tantò tempore inter tot persecutiones & rerum humanarum perturbationes, ut, nisi vinculum, quò cohaeret, divinum esset, nullum planè esset. Hoc nos coràm intuemur; praevидit autem & predicavit jam dudum Patriarcha Jacob, dum ante obitum, quae filiis obventura erant, praedixit, & inter haec adventum, passionem, mortem, resurrectionem Messiae, nec non ascensum ejus in caelos & Spiritus effusionem, obscurioribus licet pro ratione istius temporis verbis, descripsit. Quae de adventu, passione, morte, & resurrectione notanda fuerunt, jam ante consideravimus; nunc quid de Spiritu S. ejusq; apud credentes officio protulerit, parumper expendemus. Verba ejus, quae huc faciunt, ita habent Genes. XLIX. v. 11. 12. Ligans ad vitem pullum suum, & ad vitem optimam, fili mi, asinam suam. Eluet in vino vestimentum suum, & in sanguine uvarum operimentum suum, rubicundus oculis praè vino, & albus dentes praè lacte. Versio Latina habet: Ligans ad vineam pullum suum, tanquam vitis pro vinea poneretur. Sorec autem vitem optimam & generosissimam denotat, quod tamen vocabulum LXX. reddiderunt per ἑλμα. Idq; verbum retinuit Cyprianus lib. 1. adversus Iudaeos cap. 21. Deligans, inquit, ad vitem pullum suum, & ad helicem pullum  
asinæ



asinae suae. Est autem ἑλιξ non tam palmes vitis, quam surculus iste.  
 tenuis, quò vitis suo palo se astringit & circumvolvitur. Unde Hierony-  
 mus in *Questionibus Hebraicis in Genesin LXX.* interpretum verba sic  
 reddit: Alligans ad vitem pullum suum, & funiculo pullum asi-  
 nae. Addit, in Hebraeo haberi vocabulum Sorex, quod electam vitem  
 significet. Praeterea in Hebraeo legitur Beni, fili mi, ut Patriarcha  
 filium suum Judam denuo compellet adeò magis notanda verba, quae  
 proferat; quanquam nonnullis magis placet, quod Jod sit paragogicum,  
 positum pro Ben hoc sensu: Ligans ad vitem pullum suum, & ad vitem  
 optimam pullum asinae suae, quemadmodum in eòdem versiculò dicitur  
 Oseri pro Oser ligans. Sic sanè legerunt LXX. Interpretes: Δεσμύων  
 πρὸς ἄμπελον τὸν πῶλον αὐτῶν, καὶ τῇ ἑλίξει τὸν πῶλον τῆς ὄνυξ αὐτῶν. Conse-  
 quenter & interpretes eam lectionem retinuerunt, tam Graci, quam  
 Latini. At Hieronymus in *Question. Hebr. in Genesin*: In Hebraeo,  
 inquit, ita habet: Alligans ad vitem pullum suum, & in Sorex, fili  
 mi asinam suam. Item Eucherius *Lugdunensis lib. 3. in Genesin*:  
 Et ad vitem, o fili mi, asinam suam. Eandem lectionem retinuit  
 & Beda in *questionibus super Genesin*, & Rupertus *lib. 9. in Genesin*  
*cap. 33. Tomo 1. Operum.* Porro Hieronymus in *quest. Hebraic. in Ge-*  
*nesin*: Sed & hoc sciendum est, inquit, quod, ubi nos legimus,  
 Alligans ad vitem pullum suum, pro pullo in Hebraeo possit legi,  
 urbem suam. At non civitates, sed animalia alligantur ad vitem  
 vel ad sepem. Denique verba: Rubicundus oculis praè vinò & al-  
 bus dentes praè lacte, ex Hebraeo ita reddi possunt: Colorati vel rubi-  
 cundi sunt oculi ejus à vinò, & albi dentes ejus à lacte, tanquam causa  
 coloris indicaretur. Cui rubor oculorum est? Immorantibus apud  
 vinum, *Prov. XXIII. v. 29.* Erat in eo enormis proceritas, facies ru-  
 bida plerumq; ex vino lentia, ait de Vitellio *Svetonius in vitæ ejus*  
*subfinem.* Sed hinc Patriarcha ebrietatem non pradicat tribus Juda, nec  
 vitium oculorum ex nimio vini potu exortum, sed pulchritudinem  
 oculorum, quòd tantam gratiam habituri sint, quantam vinum splen-





*dens in vitro. Unde LXX. reddiderunt* *καρποισι*, pulchri oculi e-  
jus. Splendor enim ornamentum est oculorum, sicut & albedo den-  
tium, utrumq; sanitatis indicium. Proinde verba non tam causam,  
quam comparationem indicant, sicut ea acceperunt LXX. interpretes:  
Pulchri oculi ejus *καρποισι*, à vino, & albi dentes ejus *ή γαλα*, quam  
lac. Et vulgatus interpres: Pulchriores sunt oculi ejus vino, &  
dentes lacte candidiores. Minus enim, vel etiã Mem prefixum Hebrais  
comparationem & præminentiam significat. Eundem sensum &  
omnes retinuerunt interpretes. Jam non desunt, qui hac verba se-  
cundam literam posteris Judæ terra fertilitatem promittere existi-  
ment: In quam sententiam Lyra super h. l. sic scribit: Postquam Ja-  
cob prædixerat dignitatem regiam futuram in tribu Juda, cœpit  
prædicere conditionem terræ, quam in sorte debebat accipere,  
quæ fuit valde fertilis in vinò & lacte. Et hoc est, quod dicitur,  
Ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem asinam suam, per  
hoc designans, quod in uno stipite vitis possit de uvis onerari  
una asina vel pullus. Quando in Hebræo habetur: Et ad palmi-  
tem filium asini sui, & idem significat quod subditur: Lavabit in  
vino stolam suam, ac si dicatur: Tanta abundantia erit ibi, quod  
possent inde lavare pannos; & est locutio hyperbolica, sicut et-  
iam apud nos dicitur ad designandam magnam abundantiam  
tempore fertilitatis, quod satis est de vino ad lotionem pedum.  
Et ad idem facit, quod subditur: Pulchriores oculi ejus vino. In  
Hebræo sic habetur: Rubicundiores oculi ejus, quia potatio vini  
abundans, & maxime quando vinum est bonum, apparet in ocu-  
lis scintillantibus citius, quam in aliis partibus. Et dentes ejus  
lacte candidiores. Per hos designatur abundantia lactis futura  
in sorte Judæ, quia albedo lactis apparet in dentibus comedenti-  
um ipsum. *Hæc ille. Et sanè non negaverimus collineare huc Pa-  
triarcham, ut temporalem quoq; felicitatem promittat tribui Judæ:  
Sed quis non videt, si eò tantum verba hæc referantur, esse omnia con-  
torta*



sorta & difficilia explicatu, nec respondere per omnia eventum? Non enim habuit tribus Juda tam fertilem terram præ cæteris tribubus. Et præterea non de Juda dicitur, quòd alligaturus esset ad vitem pulcherrimam, sed de Messia. Judam enim alloquitur, dum ait fili mi. Origenes homil. 17. in Genes. dum hæc verba exponit ita scribit: Quod de historiali Judâ interpretari nulla mihi ratio videtur posse permittere, nisi Judaicis fabulis annuentes putemus ita posse intelligi, pro eò quod dicit, partem tribus Judæ, quam in terræ hæreditate suscepit, ita refertam esse vineis, ut tanquam nullo alterius generis existente virgulto tanta vitis esse copia videatur, ut ne animal quidem alligandi ad aliud genus arboris detur facultas. Sed hæc, ut diximus, Judaica magis commenta videbuntur: nobis autem mystica & plus etiam, si sola sit, placeat expositio. Ipsi Judæorum Rabbini viderunt, sensum literalem textui nequaquam satisfacere; inde & alium reconditum quesiverunt. Targum Hierosolymitanum sic habet: Quam pulcher est Rex Messias, oriturus de domo Judæ. Adstringet lumbos suos, & exhibit in prælium contra hostes suos. Et occidentur Reges cum proceribus. Rubefaciet fluvios sanguine, & dealbabit colles suos pinguedinerobustorum. Vestimenta ejus imbuentur cruore: ipse autem assimilabitur formæ botrorum. Quam pulchri sunt oculi Regis Messie ad videndum præ vinò defecato, ne videat eis adulteria & effusum sanguinem innocentium. Dentes ejus exercitati sunt in lege, ne manducet eis iniquitates & rapinas. Rubescunt montes ejus vineis & torcularibus vini: candescunt colles ejus multitudine tritici & gregibus oviū. Targum Onkelos: Habitabit Israël (tempore Messie,) in circuitu civitatis suæ, populi ædificabunt templum ejus, eruntq; justi in circuitu ejus, & factores legis in doctrinâ ejus. Purpura optima erit vestimentum illius; operimentum ejus erit sericum tinctum coccino variisq; coloribus. Montes ejus rubicundiores erunt in vineis suis: destillabunt colles



colles ejus vinum. Dealbabitur campi ejus frumentò & gre-  
gibus ovium. *Rabbi Salomo Fishac in Notis ad h. l.* Prophetatum est,  
*inquit*, de posteritate Judæ, quæ trahet vinum sicut aquã. Vir Judæ  
ligabit ad vitem asinum unum, & onerabit eum ex vite unã, & ex  
generosã vite unã pullum asinæ unum. *Sed postea addit*: Onkelos  
explicat de Rege Messia: Vitis illa Israel est, civitas ejus Jerusalem.  
— Et adhuc exponunt de personis posterioribus, vitem di-  
cunt justos, pullum asinæ ejus servos legis in doctrina propterea  
equitantes asinis splendidis. *Multum est, quòd viderint, hæc verba*  
*de doctrinã & beneficiis Messia exponenda esse, licet sensum non plane*  
*fuerint assecuti. Nobis respiciendum est ad locum Zachariæ IX. v. 9.* Ex-  
ulta vehementer filia Sion, jubila filia Jerusalẽ, en Rex tuus veni-  
et tibi justus & servator ipse mitis, vehens super asinò & pullò asi-  
narum. *Hæc enim est explicatio quadam eorum, quæ dixit Patriarcha,*  
*quòd nempe Messias in altã pace sit regnum suum administraturus,*  
*& pauper futurus, qui non equo aut mulo, sicut ceteri Reges Judæ, sed*  
*asino Hierosolymam esset ingressurus. Idq; ita in Servatore nostrò im-*  
*pletum fuisse, constat ex Matth. XXI. v. 1. & seqq. Luc. XIX. v. 30 &*  
*seqq. Paucis enim diebus, antequam comprehenderetur, ad montem oli-*  
*varum è castellò quòdam asinam cum pullò adduci curabat, eog; urbem*  
*Hierosolymam ingrediebatur cum maximo populi iripudiò. Sed nec*  
*id tantum significarunt Propheta, quòd imbellem, pauperem & pacifi-*  
*cum Regem Jerusalem habitura esset, sed & alia multa, quæ subditos*  
*& regnum ejus concernunt, quæ & Dominus ipse regiò suò ingressu a-*  
*dumbrare voluit. Asina populum Judaicum jam jugo legis subjectum,*  
*pullus indomitus gentes nullo legum repagulò cõercitas denotat. Uterq;*  
*populus Christo subjectus est: sed & alligavit asinam ad vitem, & pul-*  
*lum ad vitem optimam, hoc est, refractariam Synagogam & indomi-*  
*tum populum gentium sibi tanquam imbecilli viti univit, ut sine ar-*  
*mis & vi externã & Judai & Gentiles ab ipso se teneri passi fuerint.*  
*Asinus enim si robore suo utatur, facile rumpit vitem, cui alligatus est:*  
*At*



At tempore Messiae promti futuri erant populi omnes, ut viti alligaren-  
tur, hoc est, cum Christo per fidem unirentur. Si per vitem Ecclesiam  
intelligamus, per vitem optimam autem Christum, duplex ligamen fi-  
delium hic describitur, unum ad Christum per fidem, alterum ad Eccle-  
siam per charitatem. Prius rumpunt haeretici, posterius schismatici:  
Ut enim haeresis fidem destruit; ita schisma charitatem violat. Hæ-  
retici, inquit Augustinus lib. de Fide & Symbolo cap. 10. Tom. III. de  
Deo falsa sentiendo ipsam fidem violant: Schismatici autem dis-  
sensionibus iniquis à fraternâ charitate diffiliunt, quamvis ea cre-  
dant, quæ credimus. Et Gregorius Magnus lib. 18. Moral. cap. 15:  
Quisquis ab hac unitate matris Ecclesiæ sive per hæresin perversa  
de Deo sentiendo, seu errore schismatis proximum non diligen-  
do dividitur, charitatis hujus gratiâ privatur. Vestem corpus Chri-  
sti designare, operimentum Ecclesiæ ejus, jam ante diximus in aliò  
Programmate. Hanc lavit non tantùm sanguine, sed & Spiritu  
suò: Mundavit eam lavacrò aquæ in verbò, Eph. V. v. 27. quod est  
lavacrum regenerationis ac renovationis Spiritus S. Tit. III. v. 5.  
Quanam autem hæc est oculorum pulchritudo, & quis dentium can-  
dor? Obscurè indicârat Patriarcha pro ratione istius temporis, quis  
Messias, qui subditi ejus futuri essent, quomodo inter se & cum capite  
suò uniendi, operante in ipsis sanctò Spiritu fidem & charitatem, ideo  
obscurè etiam aliquid addendum erat de ministeriò verbi, per quod  
Spiritus S. operatur. Oculi & dentes toti prospiciunt corpori: Sic &  
Apostoli & Episcopi seu doctores verbi toti prospiciunt Ecclesiæ. Ocu-  
lis videmus & in operibus nostris dirigimur; dentibus cibum com-  
minuimus & præparamus, quò corpus sustentatur: Sic & doctores  
tanquam oculi dirigunt in omnibus actionibus Ecclesiæ; & tanquam  
dentes præparant ipsi spiritualem cibum, videlicet verbum & Sacra-  
menta, quibus Ecclesiæ reficitur & sustentatur. Singularem autem  
gratiam & pulchritudinem oculi hi & dentes habituri prædicuntur,  
quia egregiis ornandi erant Spiritus S. donis ad obeundum ministeri-  
um



um novi testamenti necessariis. Ejusmodi dona splendidissima erant in  
Apostolis, qui & in regendâ & reficiendâ Ecclesiâ immediato afflatu  
Spiritus S. agebantur. Successores eorum immediatas quidem inspi-  
rationes non habuerunt, attamen & ipsorum est nitere Spiritus S. do-  
nis, scientiâ, prudentiâ, fide, spe, charitate. Non tantum oculi sunt,  
sed & oculi fulgentes omnibus virtutibus, quæ in regimine Ecclesiasticô  
maximè necessaria sunt; & dentes candidissimi, omnem excludentes  
hypocrisin, dolum ac malitiam. Quæ omnia multò prolixius deduci  
possent, si, quæ hic latent, mysteria diligentius excutere vellemus. Sed  
videndum jam est, quid veteres hæc de re tradiderint, ut per eos quoq;  
ad genuinam horum verborum interpretationem manuducamur. Ju-  
stinus Martyr in Dialogo cum Tryphone Judæo in mediò ferè: Et illud  
inquit, Ligans ad vitem pullum suum, & ad capreolos pullum a-  
sinæ suæ: cum operum, quæ in priore ejus adventu ab eo sunt fa-  
cta, tum gentium, quæ in eum credituræ erant, prænunciatio fuit.  
Hæ siquidem veluti pullus fuere, qui neq; clitellas gestaverit, neq;  
jugum super cervicibus suis habuerit, donec Christus iste cum-  
venisset, discipulos suos ablegavit, & per ipsos eas in disciplinam  
suam recepit: atq; illæ jugum verbi ejus ferentes, tergum ad su-  
stentanda omnia objecerunt, eorum bonorum, quæ ab ipsis ex-  
pectantur, & ab eo sunt promissa, consequendorum gratiâ. —  
Porro, quod asinam subjugalem cum pullò suò Spiritus prophe-  
ticus unà cum Patriarchâ Jacobò nominavit, atq; eâ ipse & disci-  
puli ejus sunt usi, sicuti dixi: Utrumq; enim jumentum adducere  
jussit: prædictio id fuit eorum, qui etiam ex vestrà Synagogâ, si-  
mul cum iis, qui ex gentibus venerunt, in eum credituri erant. Quæ-  
admodum enim gentium nota fuit pullus oneribus ferendis  
non adfuetus: ita & popularium vestrorum asina clitellaria. Ha-  
betis enim, quæ per Prophetam vobis imposita est, legem. Ori-  
genes homil. 17. in h. l. ita scribit: Hoc de Christo propriè & singu-  
lariter dicitur: Ipse enim alligabit ad vitem pullum suum, qui  
dixit



dixit, Ego sum vitis vera. Ad hanc verò vitem pullum suum  
alligavit, & ad palmitem asinam suam. Pullus est ex gentibus  
populus, cui utiq; nunquam adhuc legis onus fuerat impositum,  
& super quem nemo nisi Christus infederat. Pullus verò asinæ  
sunt hi, qui de priore populo, qui nunc in figurâ asinæ nomina-  
tur, electi sunt ad salutem. — Abjectâ ergò asinâ, quæ onus legis  
in infidelitate portare maluit, pullus ex ipsa natus eligitur, id est,  
novellus ex vetere per fidem populus asciscitur, ac populo ex gē-  
tibus sociatur. — Gratifici, inquit, oculi ejus à vinò. Superiùs  
ostendimus Apostolicâ autoritate membra Christi dici dignos  
quosq; fidelium, & diversa singulariter membra nominari pro  
eò, quod unusquisq; omni Ecclesiæ corpori dependit officium.  
Erunt enim pedes Christi, qui currunt ad faciendam pacem, qui  
pergunt ad subveniendum his, qui in necessitate sunt positi. E-  
runt manus Christi, quæ ad misericordiam extenduntur, quæ au-  
xilium indigentibus ferunt, quæ invalidis ad adminiculum por-  
riguntur. Sic erunt & oculi Christi, qui scientiæ lumen universo  
corpori præstant. — Gratifici ergò sunt oculi ejus à vinò, quia  
nihil est aquarum in verbò scientiæ, nihil fluidū, nihil frigidum,  
sed vinum, quod lætificat cor hominis, & quod infunditur vul-  
neribus illius, qui incidit in latrones. — Dentes ergo ejus su-  
per lac candidi erunt hi, qui fortem & solidum cibum verbi Dei  
mandere & comminuere ad summam subtilitatem dētibus pos-  
sunt: de quibus dicit Apostolus in Epistolâ ad Hebræos: Perfe-  
ctorum autem est cibus solidus. — Super eos, qui lacte alun-  
tur, dentes ejus sunt candidi, id est, hi qui perfectum cibum cape-  
re possunt & comedere, super illos sunt, qui tanquam parvuli ad-  
huc lacte indigent — Aptissimè sanè candidos dentes ejus dicit;  
omnes enim qui perfecti sunt, & qui Scripturarum cibos dignis  
& competentibus interpretationibus explanantes, subtilem &  
minutum intellectum (qui Spiritalis dicitur) Ecclesiæ corpori  
subministrant, candidi debent esse & puri, atq; omni malo liberi,

B

ne



ne fortè dicatur eis, *Qui alios doces, teipsum non doces.* *Ambrosius lib. de Benedictionibus Patriarcharum c. 6. hæc habet verba:* Hic est ille alligans ad vitem asinam suam, & ad palmitem pullum asinæ suæ, ut fervorem Spiritûs Sancti congregatio habeat nationum antè remissa & negligens, sed jam devota per Christum, & viti illi perpetuæ, hoc est, Domino Jesu, qui ait, Ego sum vitis, & pater meus agricola, velut fructuosi palmites inexolubilibus vinculis fidei alligemur. Hoc est illud mysterium, quod pullum asinæ solvi jussit in Evangelio, & ipse Dominus Jesus sedit super eum, ut alligatus ad vitem perpetuâ Sanctorum (savitate) requiesceret. Lavabit, inquit, in vinô stolam suam. Bona stola est caro Christi. — Lavit hanc stolam in vinô quando cum baptizaretur in Jordane, descendit Spiritus S. sicut columba, & mansit super eum. Quò significatur, quod plenitudo Spiritûs Sancti individua in eo fuerit, nec recesserit. — Lavit ergo Jesus stolam suam, non ut suam, quæ non erat, sed ut nostram, quæ eras sordem ablueret. — Et ideo ait Propheta, Hilares oculi ejus præ vinô, & dentes candidiores, quàm lac, significans Prophetas & Apostolos. Alii enim sicut oculi Christi præviderunt & annunciarunt ejus adventum. — quem videntes spirituali lætitiâ complebantur. Alii verò, hoc est, Apostoli, quos Dominus à peccatorum labe mundavit, super lac candidiores facti sunt, quos macula nulla postea fuscavit. Etenim lac temporale est, gratia autem Apostolorum perpetua manet, qui nobis spiritualia illa atq; cœlestia conficientes alimenta mentis internæ viscera saginarunt. Sunt etiam, qui mandata Domini lucida, quæ divinô ore deprompta sunt, sicut lac nobis facta arbitrentur, quibus nutriti ad panis cœlestis pervenimus alimoniam. *Johannes Chrysostomus, homil. 67. in Genes.* Per pullum, inquit, iterum gentium significat adductionem. Nam quia asinus immundum erat animal, propterea dicit: Illæ immundæ gentes cum tantâ facilitate adducentur, quasi quis ad palmitem vitis asinum alliget: simul



mul insinuans & potestatis excellentiam & gentium obedientiam. Magnæ enim mansuetudinis est, quod asinus sustinet se ad palmitem vitis ligari. Viti autem suam doctrinam comparat. Ego enim sum, inquit, vitis vera, & pater meus agricola est. Palmitem autem vocavit teneritudinem præceptorum & facilitatem legis ferendæ: & jam præsignat gentes magis credulas fore, quàm Judæos. — Jucundiores oculi ejus vinò, & candidiores dentes ejus, quàm lac. Hic gloriam nobis demonstrare vult per metaphoram vini & oculorum. Et candidiores dentes ejus quàm lac. Justitiam signat & claritatem judicis. Nam per dentes & lac nihil aliud significare vult, quàm fore candidum & manifestum judicium, ut est lactis & dentis qualitas. *Sic ille hac ad Christum Judicem refert. Augustinus lib. 12. contra Faustum Manicheum cap. 42. Tom. VI: Ipse alligavit ad vineam pullum suum, id est populum suum in ciliciò prædicans & clamans, Agite pœnitentiam, appropinquavit enim regnum cœlorum. Populum autem gentium illi subditum cognoscimus, pullo asinæ comparatum, in quò etiam sedit, ducens eum in Hierusalem, id est, in visionem pacis, docens mansuetas vias suas. — lavit in vino stolam suam, ipsa est enim gloriosa Ecclesia, quã sibi exhibet non habentem maculam aut rugam. — Jam verò fulgere oculos ejus à vino, illa in corpore ejus membra cognoscant, quibus donatum est, sanctã quãdam ebrietate alienatæ mentis ab infrã labentibus temporalibus æternam lucem sapientiæ contueri. — Hi sunt fulgentes oculi à vino. Sed tamen quia sequitur, sive temperantes sumus vobis. — nec parvuli relinquuntur adhuc lacte nutriendi, quia & hic sequitur, Et dentes candidiores lacte. *Cilicium posuit etiam l. 16. de Civ. Dei cap. 14. quia pœnitentiã interveniente Christo unimur. Cyrillus Alexandrinus lib. 7. Glaphyrorum in Genesin ad hæc verba ista notavit: Vitis illa vera, hoc est, Christus quasi sibi ipsi per fidem alligavit populum ex gentibus, quem pullo comparat. Quod autem alligavit capreo-**

lo



lo vitis, hoc est, dilectione sua pullum asinae, populum inquam, qui credidit ex prisca Judaeorum matre aut Synagoga, quomodo quis dubitaverit, cum universa, ut unò verbò dicam, sacra Scriptura testetur hoc mysterium? — Ex his, ut arbitror, intelligi debet jucundum, lætum & hilare, quò divina ipsius natura prædita est. Mens enim eorum, qui vinum biberunt, jucunda ferè esse solet, & ab iis, quæ tristitiam gignunt, summopere abhorret. Cum verò sermo quodam modò à dentibus procedat, ideo & hos esse ait, candidos, ut qui sermonem candidum per linguam emittant. *Theodoretus questione 110. in Genesin concordat cum Chrysostomo. Hac in presenti sufficere possunt, modo id operam detis, ut, quod scitis, opere ipsò compleatis, ut viti Ecclesie per charitatem copulati, & optime viti Christo per fidem inserti multos fructus feratis. Non ducitur asinus ad vitem, ut frangat vitem, ut clitellas ejiciat, ut vineam conculcet, sed ut fructibus onustus inde redeat. Si vos viti Christo alligatos putatis, fructibus bonis ostendite, fructibus Spiritûs, qui propterea vobis datus est, ut ejus ope carnem subigatis, mundo renunciatis, Deo serviatis. Nostis, quid vestri sit officii, nec gratia Spiritûs vobis deerit, modò ipsimet in vobis Spiritûs opus non impediatis. Servate fidem, exercete charitatem; patientiâ crucem, mansuetudine iras, beneficiâ inimicitias vincite. Si Spiritûs S. opus est, discordes mutue charitatis vinculo colligare, non accepisse vos Spiritum Sanctum putate, nisi discordiis & contentionibus nuncium remittatis, & sincerâ vos invicem charitate complectamini. Nihil magis abominatur Spiritus Sanctus, quàm simulata charitatis officia & fucatâ pietate malitiam; candidos dentes, radiantes oculos, apertam faciem requirit. Ne rubeant oculi vestri ex vinolentiâ & ebrietate, nec stupeant dentes vestri voracitate: ne despiciatis proximum, nec malignò dente rodatis famam alterius, ne invideatis vobis invicem, nec mordeatis vos clanculum. Eluite maculas peccatorum vestrorum seriâ resipientiâ, & ore atq; oculis ad Deum conversis ipsius opem implorate, ut in rebus his dubiis nobis subveniat, & feliciorum quàm sperare possumus, eventum malis nostris largiatur.*



Feriis  
SPIRITVS SANCTI  
TERTIÆ TRINITATIS

Personæ

*à Patre, & Filio ineffabili ratione procedentis*

Nos regerantis illuminantis & sancti-  
ficantis DEI.

*Sacrum.*



*U*lcidi vigor ætheris,  
Sancte Spiritus, ignei  
Vis Amoris, ab æthereo  
Fuse Patris anhelitu,  
Fuse pectore Nati  
Antè, sidera quàm poli  
Extitere, volubili  
Quàm rota roseum vagus  
Prompsit oceano diem  
Cynthius, vaga noctem  
Luna lumine quàm nigram  
Temperavit amabili,  
Cincta sideribus latus.  
Siste nunc faciem mihi  
Qua viri Galilæi

Con-



Congreges prece mutua  
Et sacra socii fide  
Atque fixi oculos polo  
Anxii gemitu pio  
Te, Deus, petiere.  
Aura denique cœlitus  
Lapsa cum simul omnium  
Ora pectoraque occupas  
Insidens tremula face,  
Unde tecta repleti  
Cepta flamine virido,  
Sancta quæ coluit cohors.  
Templa nos quoque nunc tenent,  
Sacra turba coiuvimus.  
Hanc tuo, Deus, igne  
Incalescere da, tuo  
Excitetur anhelitu.  
Quos vides rigidos fove,  
Languidos recrea, vagos  
Sepibusque coerce.  
Saucios bilaret salus.  
Redde sidera mortuis.  
Arma cur reprimi negant?  
Cur furor malus imperat,  
Pacis alme sequester?

Huc



Huc ades! tibi seruiunt  
Sceptra, tu trabeas graves  
Purpuramque, ubi vis, domas,  
Supplicanti tibi regia.

Ergo foedere reges  
Junge, denique sanguinis  
Sit satis fluidi, satis  
Cedium, exilii famis;  
Carcerem repetat furor,  
Mordeatque catenas.

Pax abest nimis heu! diu.  
Quo locorum abiit fugâ?  
Terminos maris ultimi  
Occupavit? an invida  
Aetbra distinet illam?

Redde nunc miseris eam,  
Quaeque nostraproteruitas  
Egit haud bene, corrige  
Imbre sanguineo pii  
Sanctitateque Christi.

Ecce quae Pietas tuis  
Dedicavit honoribus  
Templa miles habet ferus,  
Ara cornipedum sono  
Atque sordibus horret.


Et



*Et scholas maculat situs,  
Clade non reparabili  
Corruit sapientiae  
Officina, Deas sacris  
A volare & relictis  
Vidimus, fugientium  
Fæda barbaries loco  
Arrogat regimen sibi.  
Tu repertor es artium  
Lexque norma que veri,  
Tu dator sapientiae.  
Sancta præside Virtus  
Te fugat vitium, agmina  
Te fugat scelerum Themis.  
Auream modo pacem,  
Quæ sumus, populo tuo  
Redde, nos decoret salus,  
Floreat Pietas, scelus  
Noxiasq; tuis premant  
Nigra Tartara pestes!*

*clb lbc LIIIX.*

*Simon Dachius.*





• Elencbús tractatiónum hoc volum: comprehensivum.


1. BECCERI analysi Psalmi secundi.
2. GESNERI contra primatum Romani Pontificis.
3. HUTTNERI Theoremata tria ex Jobann: 1. 29.
4. FÖRSTERI medulla capit: 53. Esai:
5. Ejusd: Disputationes V. in c. 53. Esai:
6. WÄNCKELM: Disput: ex Jobann: III. 16.
7. Ejusd: Disput: ex Jerem: 23. 3. 4. 5. 5. 7. 8.
8. MAJORIS apobupisobis oraculi Apostolici 1. Jobann: 1. 7.
9. THUMMII ex h: verbis dicti Paulini Coloss: 2. 9.
10. FÖRREYSERII Disput: de 7 Verbis Christi novissimis. Autor DANUBIENSIS.
11. SCHMIDT ex h: verbis dicti Evangelici Luc: XI. 28.
12. Ejusd: de peccator Confes: penitentiali ex Job: 24. 13.
13. BERGII de loco Prop: II. 22 - 31.
14. HÖFFNERI de primigenia hominis conditione, ex Gen: 1. 26. 27.
15. WILHELM: ZYSERI Diaboli oraculi Job: 1. 29.
16. Ejusd: Explicatio Ps. 14. 1. 2. 3.
17. Ejusd: de Anti. Christo ex 2. Thessal: 2.
18. BULAI ex h: verbis dicti Hof: XIII. 9.
19. HÜLSSEMANNI meditatio ad dictum Rom: IV. 25.
20. LANGII protuevangeliüm, Genes: 3. 15.
21. Ejusd: Jesus typicus in sacrificiis veterum ostensus.
22. MARTINI assertionum Theologic: de curia ad locum Jerem: XXXI. 31 - 34.
23. HENRICI mysterium economia ex dicto ad Coloss: 2. 9.
24. CUNDISII exercitatio: Theol: ex Esai: 49. 22. 23.
25. Ziegna expositio Psalmi 2.
26. LANGGE septem verba Christi.
27. KUNZE Disput: ex 1. Tim: 3. 16.
28. Ejusd: de Confessione hominis ab infidelitate ad fidem.
29. GERHARDI Cyrillus.
30. OLEARI lumen gentium Luc: II. decantatum.
31. 32. Programma ex Gen: 49. 11. 12. Aliud ex Apocal: 1. 4.
33. ZILLI philologia in Esai: 1. 4.
34. BOSII Evangelium anathemate desensu, Galat: 1. 6. 7. 8. 9.
35. ALBERTI magnificentia divina Joel: 2. 28. 29.
36. NIEMANNI de Christi delevisti querela, Matth: 27. 46.
37. THILONIS Disput: ex 1. Corinths: 2. 14. 15.
38. MEYCKELII Exercit: Theolog: ad Rom: II. 31. 32.

ung II 18


VD 17

Z









99)

31.

MA  
SANCTI  
fusi  
C. XLIX. vers. XI, XII.  
devotione  
talibus

ACADEMIÆ  
ANÆ.



1658.

ERIANO.

